

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
CONVERSIONE
HOMINIS PECCA-
TORIS,

Quam
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS
THEOLOGICÆ

IN ALMA PRUSSORUM ALBERTINA,
SUB PRÆSIDIO

D O M I N I

PAULI POMIAN PESAROVII,
S.S. Th.D. ejusdemque Profess. Extraord.
celeberrimi, Pastoris Ecclesiæ Cathedralis fidelissimi, Con-
sistorii Sambiensis Assessoris gravissimi, Scholæque
Cathed. Inspectoris vigilantissimi,

PATRONI Atque PROMOTORIS VENERANDI,

JACOBUS JACK, Lyck à Prussus,
Ibidemque Scholæ Provincialis Con-Rect.

AUTOR & RESPONDENS,

Placidæ Eruditorum censurae subjicit

Ad diem Octobris M DCCI.

IN AUDITORIO MAJORI.

REGIOMONTI Typis REUSNERIANIS.

Coll. diss. A
208, 7

Diss. A. 208.

AB

1722

PRÆILLUSTRI ET GRATIO-
SISSIMO DOMINO,

DN. LIBERO BARONI
SAC. ROM. IMP.

PAULO de FUCHS,
CONSILIARIO STATUS INTIMO,
EQUITI ORDIN. REGII PRUSS.
GENERALI DIRECTORI FEUDORUM

ET

PRÆSIDI CONSISTORII BEROLI-
NENSIS SACR. REG. MAJ. IN PRUSSIA,
DOMINO IN MALCHAU, FUCHS-
HOFEN, WEDDERAU,
&c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Submissè & humillimè

D. D. D.

JACOBUS JACK,
Con-Rect. Lyccensis.





Uemadmodum Deus hominum salutem seriò expectit: ita perpetuò inculcat iisdem, ut relictâ viâ peccatorum, ad illam per Conversionem accedant. Inde toties totiesque in verbo suo exponit, illis Salutis aperituras sese portas, qui conversi fuerint: quando per *Esaiam XLV. 22.* clamat *Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ:* & Salvator ipse enunciat: *Dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: Luc. XIII, 3. 5.* ad quæ verba respeciens *Lactantius* eleganter scribit *Lib. 6. Divin. Instit. Cap. 24.* *Deus imbecillitatem nostram sciens pro suâ pietate aperuit homini portum salutis, ut huic necessitati, cui fragilitas nostra subjecta est, medicina pœnitentia subveniret.* Eandem ingeminat vocem per *Jeremiam III. 12.* *Revertere ad me rebellis Israël, dicit Dominus:* per *Joel II. 13.* *Scindite corda vestra, & revertimini ad Dominum.* Eandem quoque repetit Apostolus in N. T. dicens: *Jubet Deus omnes ubique resipiscere. Act. XVII. 30.* Quinimo, quando id obtinuit divinum Numen, ut per conversionem homines ad ipsum accedant, gaudio & delectatione repletur. Qui enim dixit: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ezech. XXXIII, 11. & Malach. III. 7.* *Convertimini ad me & convertar ad vos:* ille inventa ove deperdita exclamat: *Gaudete mecum, quoniam inveni ovem meam deperditam:* exponente Salvatore: *Dico vobis: Sic gaudium erit in cœlo super peccatore pœnitentiam agente. Luc. XV. 6. 7.* Ad quæ verba *Venerabilis Beda:* *Notandum, quod non dicat: Congratulamini ovi invente, sed mihi, quia videlicet ejus est gaudium vita nostra, & cum ad Cœlum reducimur, solennitatem lætitiæ illius implemus.*

§. II. Nec casu, sed divina ex inspiratione factum est, quod Conversionis vocabulo hanc viam ad Salutem Prophetæ,

A

Evan-

2
 Evangelistæ & Apostoli expresserint. Quemadmodum enim
 Hebraicum & Græca vocabula conversionem significantia pro-
 prie de motu locali accipiuntur, inde autem ad alios quos-
 cunque motus, & ad ipsam quoque conversionem transferuntur:
 ita non solum iis indicantur termini ejusdem à quo ille
 incipit, & ad quem tendit, sed ipsa quoque via & motus ratio
 exprimitur. Hebræorum enim **שׁוּב**, (quod in V.T. adhibe-
 tur sæpissime, quando de Conversione sermo est,) unde &
 nullo termino adjecto, vel etiam termino ad quem expresso,
 significat motum ad locum, unde aliquis digressus erat, & re-
 vertendi, aut redeundi habet significationem, ut patet ex *Gen.*
XIX. ult. ubi de Abrahamo postquam is cum Deo collocutus
 erat in loco ab habitatione sua remotiori dicitur: **וַיָּשׁוּב אֲבְרָהָם**
לְמִקְוֵהוּ h. e. *Et Abraham rediit in locum suum*, sc. in domum
 & habitationem suam; nec non ex *Deut. XX. 5. seqq.* ubi Præ-
 fecti militiæ, jubent eum qui domum novam extruxerat, aut
 uxorem eò annò duxerat: Ut **יָשׁוּב לְבֵיתוֹ** *redeat aut reverta-*
tur in domum suam: idem autem vocabulum termino à quo
 junctum, recedendi obtinet significatum, intercedente non raro
 particula **מֵאַחֲרֵי** ut patet ex illis verbis Abner ad Joabum
2. Sam. II. 26. **אָחִיהֶם תֹּאמַר לְעַם לְשׁוֹן מֵאַחֲרֵי** *Dic populo, ut re-*
cedat à fratribus suis. Nec aliud Græcis significant verba **ἀπο-**
στρέφειν & **ἐπιστρέφειν**, quorum illud in locis omnibus hæctenus
 adductis adhibetur in versione LXX. Interpretum: quanquam
 alias istud quidem ad denotandum terminum à quo motus in-
 choatur, hoc vero ad significandum terminum motus ad quem
 propter præpositiones, cum quibus verba hæc composita sunt,
 potissimum adhibeantur, & **ἀποστρέφειν** *avertere*, **ἐπιστρέφειν** au-
 tem *convertere* proprie significet, quod prout de illo ex *lk. c.*
 ita de hoc patet ex *Matth. XII. 43.* ubi Spiritus immundus di-
 cit: **ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅτιν ἐξήλθον**: *Revertar in domum*
meam, unde exivi.

§. III.

3

§. III. Atque exinde patet, Conversionis quoque duos esse terminos, eamque motum aliquem indicare, à termino quopiam, ad terminum quempiam alium, confirmante illud, quod nomine indicatum est, Scriptura pluribus in locis. Terminum enim à quo recedit in conversione suâ homo, dicit esse peccatum, ut patet ex *I. Reg. VIII. 35. seq.* ubi Salomo orat: *Cum clausam fuerit cœlum, & non fuerit pluvia, eo quod peccaverint tibi, & oraverint in loco isto, & confessi fuerint nomen tuum, ET A PECCATO SE AVERTERINT, cum afflueris eos, tum exaudies in Cœlis, & parces peccato servorum tuorum: nec non ex Ezech. XVIII. 26. 27. Cum AVERTERIT se impius AB INIQUITATE SUA, quam fecit, & fecerit iudicium & justitiam &c.* quod & in N.T. testatur Jacobus cap. V. 19. 20. *Fratres, inquit, si quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum quispiam; sciat eum qui CONVERTERIT PECCATOREM AB ERRORE VIÆ SUIÆ servaturum animam à morte: quinimò eundem terminum haud rarò exponit per objecta, circa quæ peccata committuntur, nempe per Idola, quomodo Deus dicit ad Israëlitas: ab universis Idolis vestris mundabo vos. Ezech. XXXVI 25. Adde I. Thessal. I. 9. Apoc. IX. 20. ut & Satanam, ad cuius nutum & voluntatem peccatores vivunt, ut in illo Act. XXVI. 18. ubi Paulus dicitur missus ad populos & gentes, ut aperiat oculos eorum, & convertat eos à tenebris ad lucem & à potestate Satane ad Deum, tum divitias, scorta, & huiusmodi plura, in quibus occupari solent peccatores. Terminum vero ad quem conversio tendit, scriptura dicit esse *Fidem*, ut ex modo citato loco Act. XXVI. 18. patet, ubi dicit Apostolus, se missum esse, ut aperiat oculos gentilium, ut convertant se à tenebris AD LUCEM: lucem scilicet fidei, ut ex sequentibus constat verbis, ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant PER FIDEM in me. Conf. Act. XV. 3. 5. 7. Cumque fidei*

objectum Deus sit, illum quoque non raro dicit Scriptura terminum conversionis ad quem, quando scilicet mentionem facit *resipiscentiæ aut conversionis ad Deum Act. XX. 21. & Paulus testatur Thessalonicenses conversos esse Ad Deum ab Idolis I. Thessal. I. 9.*

§. IV. Quanquam autem & Diaboli, & homines naturali ordine progeniti peccato corrupti sint, ut de illis patet ex *Epist. Judæ v. 6. & 1. Job. III. 8. II. Petr. II. 4.* de his vero ex *Rom. V. 12.* non illi tamen, sed hi tantum Conversionis Subiectum sunt, Illos enim Deus catenis noctis in tartarum precipitatos tradidit servatos in iudicium: *II. Petr. II. 4.* sive ut Judas in *Epist. v. 6.* dicit: *in iudicium magni illius diei vinculis ÆTERNIS sub caligine servavit:* unde Augustinus *Tract. CX. in Johannem:* *Novimus bonorum omnium Creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse: homines vero omnes Deus vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. I. Tim. II. 4.* qua etiam de causa non Angelos assumere, sed semen Abrahæ assumere dicitur: *Hebr. II. 16.* Hanc in rem præclare *Solida Declaratio loco de libero Arbitrio p. m. 662.* *Ad hanc, inquit, vero Spiritus S. renovationem nullus lapis, nullus truncus, sed solus homo creatus est. Et cum Deus, severissimo & justissimo suo iudicio, lapsos malos Spiritus prorsus in æternum abjecerit: singulari nihilominus & vera miseratione voluit, ut miserrima & lapsi hominis natura, conversionis & gratiæ Dei, ac vite æternæ rursus capax particepsque fieret & esset.* Nec tamen omnes homines ex statu peccati in vitam Spiritualem, quam fides confert, transferuntur per Conversionem, sed Adultantum, infantes enim juxta consuetum loquendi modum non converti, sed regenerari dicuntur per Baptismum *Tit. III. 5.*

§. V. Cœterum peccata, quæ terminum Conversionis à quo constituere diximus, vel actualia sunt, vel habitualia, quorum

quorum illa quidem morali æstimatione manent, postquam actus peccati ipse physicè omnino præteriit, & esse desiit, hæc vero non omni ex parte esse desierunt, sed physicè & realiter etiam permanent. Res enim ad hunc habet modum. Quando Petrus abnegat Christum, *Matth. XXVI.* ille quidem actus seu ipsa abnegatio transit, ac esse desinit, permanet autem æstimatione morali, & hoc respectu appellatur peccatum, quia remanet culpa, ob violatam legem contracta, & offensio Dei: quando verò abnegationem sæpe repetit quispiam, non solum sæpè is violat legem, atque Deum offendit, sed acquirit etiam sibi habitum ad hoc idem impostertum faciendum. Non aliter scilicet quantum ad hoc comparatum est cum peccatis Theologicè consideratis, quam cum vitiis in vita civili obvenientibus: nam qui furtum committit, etsi fraudulenta ista rei correctio transiverit, legis de non furando manet violator, & offensio illius, cujus res furto abstulit, perdurat morali æstimatione: at si furtum ille idem aliquoties repeteret non solum legem sæpius violaret, pluresque offenderet, res illis suas auferendo, sed & habitum furandi actionibus illis repetitis sibi compararet. Quemadmodum autem in moralibus, habitus improbitatis talis ad summum perductus, non solum efficit, in improbis ignorantiam universalium, sive ut improbi universales vivendi & agendi regulas ignorent, & ex adverso falsam de rebus agendis foveant sententiam, sed etiam ad bonas virtutum actiones omnino ineptos, ad malas vero & vitiosas actiones promptos & expeditos eos reddit: ita & de hisce habitualibus peccatis docet scriptura, ea importare ignorantiam, eorum, quæ sunt Spiritus, falsas opiniones atque temerariam de illis rebus sententiam, tum & ineptitudinem ad sectanda & appetenda spiritualiter bona, promptitudinem vero & propensionem in malum. Hinc enim *σκότος* aut *tenebra* dicuntur

A 3

impro-

improbi *Ephes. V. 8. & versari in tenebris Act. XXVI. 17. 18. Job. I. 5. Nec percipere quæ sunt Spiritus Dei, sed ea reputare stultitiam. I. Corinth. II. 14. Add. Ephes. IV. 18.* Dicuntur esse mortui in peccato *Et præputio carnis suæ, Col. III. 13. Ephes. II. 1.* & quemadmodum mortui actiones vitales edere nequeunt, ita nec improbi actiones Spirituales: esse *serui peccati, in quorum mortali corpore peccatum regnet, ut obediat illi per cupiditates ejus Rom. VI. 12. 14. 18.* h. e. in quævis mala ferantur. Id tamen peculiare hoc loco est, quod præter habitualia peccata, quæ crebris peccatis actualibus acquisiverunt sibi improbi, omnes Adæ posterii, postquam lapsus hic est, *connatum* ejusmodi habeant peccatum habituale, quod *Peccatum originis* dicunt Theologi, & propter quod *omnes* homines appellantur *filii iræ Ephes. II. 2.* Omnia igitur hæc abolenda sunt in conversione; scilicet tam culpa ob violatam legem Dei contracta, ut & offensa Dei: quam ignorantia & falsæ opiniones, temerariaque judicia, de rebus Spiritualibus: ut & ineptitudo sectandi res Spiritualiter bonas, & propensio in mala; quam non omnia illa æquè plenè fortassis aboleri per Conversionem queant, ut in sequentibus videbimus.

§. VI. Aboletur autem culpa ob violatam Dei legem contracta, per retractationem peccatorum. Quamdiu enim rata habet peccator, quæcunque contra legem divinam admisit, aut ad minimum ea non retractat, tam diu is adhuc adversatur legi divinæ & dissentit ab ejus autoris voluntate, reusque est culpæ violatæ legis; quando verò peccata admissa retractat, & quantum in se est, moraliter irrita reddere nititur, tunc cum lege divina in gratiam redit, & consentire incipit. Quemadmodum enim contractus, contrahentium consensu semel initus tam diu durat, quamdiu à contrahentibus ratus habetur, aut certe non retractatur, quam primum
autem

autem contrahentes eum retractant, neuter ex illis amplius tenetur iis, quæ contractu erant comprehensa: ita ex opposito & discrepantia aut dissensus à lege non durat amplius quando jam est retractatus aut revocatus. Hæc ergo retractatio peccatorum, ut fieri possit, ante omnia requiritur agnitio peccatorum. Nihil enim retractari aut irritum reddi potest, quod cognitum antea non fuerit, cum in omnibus appetitus rationalis, intellectus sequatur ductum, unde scriptura agnitionem peccati ante omnia requirit: *Conf. Jerem. III. 13. Ps LI. 5. &c.* Ista autem agnitio peccatorum procedit feliciter, quando vitam suam antea factam memoria secum repetit, & cum lege divina confert peccator: *per legem enim provenit agnitio peccati: Rom. III. 20.* quod ipse Paulus de se testatur: *peccatum, inquit, non cognovi nisi per legem. Rom. VII. 7.* tum autem videtur demum deduci ad culmen, quando nititur investigare media peccator, quibus adhibitis ea, quæ contra legem admittenda sunt, abolere possit, qualis quidem agnitio in *Josia Rege Judæ* invenitur, hic enim, cum ex legis divinæ lectione cognoverat sua & populi peccata hæcenus perpetrata, misit, qui consulerent Jehovam, quid facto opus esset, *II. Reg. XXII. 21.* Hanc autem agnitionem peccati & mediorum prædictorum, ipsa retractatio & abolitio culpæ violatæ legis sequitur, consistens in dispendentia agnitorum peccatorum, eaque non qualicumque sed efficaci, quæ scilicet cum intentione serio ea fugiendi conjuncta sit, & qua peccata ita avertatur quis, ut non solum quæ commisit, si fieri posset, reddere vellet infecta, sed etiam ab aliis similibus deinceps patrandis abhorret, eaque detestatur: hoc enim est, quod Scriptura innuit, quando dicit peccatores *se avertere à peccatis I. Reg. VIII. 35.* & alibi passim, quæ ipsa eos ex adverso reprehendit, *qui jure Dei agnito, quod qui talia faciunt, digni sint morte, non solum ea faciunt, sed etiam facientibus*

tibus

2
sibus applaudunt. Rom. 1. 32. Quemadmodum enim contra-
 ctus, aliaque hominum negotia cognita etiam & cum aliis
 ejusdem generis comparata, quæ præstantiora sunt, non re-
 tractantur, sed manent rata, nisi displiceant illis, qui iis sunt
 occupati, hique ea detestentur, & ad alia animum convertant,
 ita in retractatione peccatorum idem ut obtineat, necesse est.
 Et ab hac sane displicentia varia nomina conversioni impo-
 sita invenimus. Nam & Hebraicum *תשובה* *Jerem. VIII. 6. &*
XXXI. 19. alibique de conversione à peccatis usurpatum, indi-
 cat, illi cui dictum aut factum quodpiam semel placuit, nunc
 illud displicere, idque à se dictum aut factum esse ipsum do-
 lere: & *μεταμέλειται* *Matth. XXI. 29. 32.* significat quandam
 displicentiam cum connotata animi sollicitudine, post factum
 aut errorem, in facto cognitum obortam: & *pænitere* quod
 latinè, de conversione agentes, usurpamus, juxta *Gellium lib. 17.*
Noct. Attic. Cap. 1. tum dicere solemus, cum quæ ipsi fecimus,
aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis
post displicere incipiunt, sententiamque in iis nostram demuta-
mus. Hanc autem agnitionem & displicentiam non potest
 non sequi dolor gravis, & remorsus conscientiæ, quando ni-
 mirum animadvertit peccator, quam foeda sint admissa sua pec-
 cata, quantam culpam transgrediendo legem Dei ipse con-
 traxerit, & quantæ peccatis suis denunciatae pœnæ, id quod
 constat exemplo Davidis *Psal. XXXVIII. 4. seq.* Et ille dolor,
 conscientiaque remorsus illi *Contritionis* nomine, qua scripto-
 res Ecclesiastici hanc modo descriptam peccatorum retractatio-
 nem designant, proprie appellantur ex *Psal. LI, 19.* ubi David:
Cor contritum & confractum nominat, Conf. *Psal. CXLVII, 39.*
Esais LXI. 1.

§. VII. Offensio autem Dei hâc peccatorum retractatio-
 ne nequaquam aboletur. Quemadmodum enim, qui alterum
 per-

percutit, aut alia injuria affecit, etsi agnoscat contra legem & malè se fecisse, idque quod admisit, ipsi displiceat, ita ut detestetur illud & doleat de eo serio, hisce omnibus offensionem istam non tollit, sed necesse est, ut satisfactione interposita eam aboleat: ita nec sufficit retractare ad istum modum peccata, sed satisfactio pro peccatis requiritur ad abolendam Dei offensam. Nemo vero satisfacere potest Deo, offenso peccatis hominum, docente scriptura quam Jesus Christus Dei Filius, quem *propitiationem pro peccatis nostris* dicit Johannes I. Ep. II. 2. & de quo Paulus I. Timoth. II. 5. 6. *Unus Deus est, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui sese ipse dedit ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων Redemptionis pretium pro omnibus* Conf. Act. IV. 12. qui & Rom. III. 24. docet: *Redemptionem factam esse in Christo Jesu.* Unde etiam Jesum Christum ex immensa sua misericordia Deus ea de causa misit in mundum, ut satisfaceret pro peccatis hominum Deo offenso, & genus humanum redimeret: ut Paulus testatur Rom. V. 8. seq. *Commendat, inquit, suam erga nos Charitatem Deus, eo quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est: & Ephes. II, 4. Deus qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, cum per peccata mortui essemus una vivificavit cum Christo, cujus gratia estis servati &c.* Quod si ergo per Conversionem satisfacere homines Deo peccatis offenso voluerint, necesse est, ut id faciant per Christum. Hoc autem aliter fieri nequit, quam meritum & satisfactionem Christi Deo Patri tanquam ἀντίλυτρον pro peccatis sistendo, ut supra Paulus docebat, qui & alibi similia habet, nempe Rom. III. 25. *justificamur, inquit, gratis, illius gratia per redemptionem, factam in Christo Jesu; quem Deus proposuit ἱλαστικόν placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Quanquam enim Christi satisfactio sufficientissima sit, ut possit pro omnium hominum

B

pec-

peccatis Dei offensam tollere, unde dicitur: *ipsum pace per sanguinem crucis Christi facta, per eum reconciliare omnia sibi, tum quæ in terrâ tum quæ in Cælis. Col. 1. 20.* attamen voluit Deus, ut suam fassiant illam satisfactionem, qui offensas suorum peccatorum coram Deo abolere volunt, ita quidem ut quicumque non fecerit suam, plenissimam illam Christi pro peccatis omnium hominum satisfactionem, illius offensa apud Deum non aboleatur, ut Christus docet: *qui incredulus est, inquit, Filio, non videbit vitam, SED IRA DEI MANET SUPER EUM Job. III. 36.* Suam autem faciunt homines satisfactione Christi pro peccatis præstitam per fidem, ut ex loco *Rom. III. 25.* patet: ita quidem, ut fidei hujus objectum ipsa hæc sit satisfactio Christi, per quam offensa Dei aboletur, unde fit, ut scriptura ipsi quoque fidei satisfactionem pro offensa Dei tribuat ut *Rom. IV. 5. ubi dicitur credenti imputari fidem suam ad justitiam Cont. Act. X. 43. Job. XIII. 16.* & alibi passim. Sed ut clarius fiat, quomodo satisfactionem Christi pro peccatis suam faciant homines per fidem, ipsa fidei natura nobis est inspicienda. Initio igitur, ad fidem requiritur Notitia, five *ἐπιγνωσις τῆς ἀληθείας Tit. I 1.* Neque enim credere possunt, de quo non audiverunt: *sed fides est ex auditu. Rom. X. 14. 17.* Hanc notitiam ut sequatur Assensus necesse est, ut nimirum omnia ita se habere, quemadmodum ea cognovit ex verbo Dei, sentiat homo, & *feratur fides in verbum Dei, quatenus Dei est. I. Thessal: II. 13.* five ut propterea omnia ita se habere judicet, quia à Deo sunt revelata. Quandoquidem autem ex verbo Dei homo cognoscit, Deum offensum peccatis, placari, & pati tibi satisfieri per Christi meritum pro peccatis à quovis peccatore oblatum, non assentitur tantum illis, quæ ex scriptura edoctus est, propter autoritatem Dei revelantis, & ad se in specie transfert, & applicat, judicans Christum,

ut omnibus hominibus, ita sibi etiam in particulari gratiam Dei, & remissionem peccatorum promeruisse, sed illi quoque Christi merito innititur & plena proæresi seu electione atque acquiescentia ipsi tanquam bono præseni insistit, idque Deo offert, ut hac ratione obtineat finem sibi propositum, h. e. ut aboleat offensam Dei ex peccatis ortam. Et hanc proæresin sive electionem aut acquiescentiam, Fiduciam dicunt Theologi, ex ipsius scripturæ effatis, quæ ut omnem fidem in aliquem ea de causa dicit *פֶּסַח יֵצֵר* *sententiam fultam Esaiæ XXVI. 3.* & *ἰσχυρισμὸν* sive *acquiescentiam ac immotam Fiduciam erga promissiones divinas Hebr. XI. 1. Cont. Hebr. III. 14. I. Cor. IX. 4.* ita imprimis eam, quatenus ad abolendam offensam Dei ortam ex peccato tendit, ad hunc describit modum. Patet hoc ex loco *Rom. III. 25.* ubi dicit Paulus *justificamur gratis illius gratia per Redemptionem factam in Christo Jesu, quem proposuit Deus ἱλαστήριον placamentum per fidem in sanguine suo.* Cum enim Christum non quocunque modo spectatum in illis verbis Apostolus objectum fidei constituat, sed ut *ἱλαστήριον* aut placatorem iræ divinæ propositum in sanguine suo, quod fit ratione satisfactionis suæ, quam effuso sanguine suo pro peccatis nostris præstitit: patet sane fidem, qua gratiam & remissionem peccatorum apud Deum per Christum impetramus, esse fidem in Christum mediatorem, quatenus per effusum sanguinem suum remissionis peccatorum apud Deum causa meritoria est, in quâ causa meritoria, qui plena proæresi ac electione acquiescit, ille remissionem peccatorum consequitur & ex offensâ placatum nanciscitur Deum, propter illam scilicet causam meritoriam, in quâ fiduciam suam collocavit. Confirmatur id ipsum exemplo Abrahami, quod adducto dicit Paulus *Rom. IV. 1. seq. ei, qui credit, in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Is enim qui justificat impium, Deus est, ju-

stus & scelerum vindex severus, qui non justificat impium, aut peccata ipsi remittit, nisi per Christum mediatorem: unde credere in eum, qui justificat impium, nemo potest, nisi credat Deum esse per Christum mediatorem placatum, in quò Christo ipse plena acquiescentia nititur, eique insistit, quod fiducia nomine indicare alibi scripturam dictum jam est. Et respectu hujus Fidei dicitur *fides apprehendere Christum mediatorem Job. I. 20. Col. II. 6.* ejusque satisfactionem, eaque tanquam *ἀντὶ* pro peccatis nostris sufficientissimo Deo Patri exhibita, abolere offensam peccatorum & gratiam ac remissionem peccatorum apud Deum impetrare. Fiducia enim animus fertur in Christum mediatorem, tanquam in suum bonum, & aliorum sibi obtinendorum bonorum causam, ita ut in ipso, qua aliorum impetrandorum bonorum autore & causa firmiter recumbat, de iis per ipsum impetrandis securus, quod utique est manu quasi Christum apprehendere, & ne elabi aut ullis adversitatibus eripi possit, quasi conclusum tenere. Quod si ex moralibus licet id quod dictum est illustrare, non male Doctrinam de Proximi uti, eam in rem, poterimus. Quemadmodum enim constituto fine deliberatur de mediis, quibus finis ille obtineri potest, donec ad primam causam perventum est, hoc est ad primum medium, aut adjumentum ex quò reliqua fini propinquiora pendent: hoc vero primum medium absolutam deliberatione appetitus rationalis persequitur, & ita pergit, donec ad ipsum finem perveniat: ita peccator, constitutum habet hunc finem, ut offensam apud Deum per peccata contractam oboleat, hunc finem ut obtineat notitia fidei de mediis in verbo Dei revelatis dispicit, cumque invenerit medium satisfaciendi Deo, pro omnium hominum peccatis, eorumque offensam abolendi esse satisfactionem Christi, hanc sibi quoque prodesse ad finem suum saluari as-
sen.

lensu peccator statuit, tuncque plenâ Proæresi, & electione acquiescente, hanc Christi satisfactionem sibi vendicat, eam irato, & offenso hæctenus Deo offert, ac exhibet, divinæ revelationis certitudine suffultus Deum repudiaturum eam non esse, sed offensam pro sua misericordiâ, & gratiosâ promissione propter satisfactionem Christi remissurum: ita, ut in eo multum superet fides, in offensæ Dei abolitionem tendens, omnem civilem proæresin, quod illa quidem inveniat medium cui sine ullâ diffidentia inniti potest, quodque apprehendere, & eligere potest, tanquam quo finem suum certissimè sit obtentura, quò respectu etiam fiducia, in scripturâ appellatur, in civilibus autem actionibus media vix unquam tam certa dentur, ut sine ulla diffidentia ea ad finem suum obtinendum eligi possint: Cum etiam optimè cogitata hic pessimè sapius cadant.

§. VIII. Quemadmodum autem peccatis actualibus crebrius repetitis, propter culpam & offensam Dei, ignorantiam etiam rerum spiritualium & falsas de illis opiniones, temerariaque iudicia, tum & ineptitudinem, ad sectanda & appetenda Spiritualiter bona, promptitudinem verò & propensionem in malum progenerari antea diximus, id quod sc. peccata habitualia important: ita ex opposito, prædictis conversionis & fidei actibus continuatis, ad illa omnia abolenda tendimus. Ignorantia enim mysteriorum divinorum discutitur per notitiam fidei, falsæ opiniones per assensum divinæ revelationi præbitum, quibus continuatis cohibentur etiam iudicia temeraria, dum contrariis sententiis immutatus, jam est intellectus. Ineptitudo verò ad sectanda & appetenda Spiritualiter bona tollitur & aboletur, dum continuatur displicentia efficax, atque seria actuum peccaminosorum, & desiderium redeundi cum Deo in gratiam, plenâque proæresi & electione acquiescimus in satisfactione Christi pro peccatis, in hisce enim,

dum versatur animus actionibus continuatis, quæ singulæ dispositiones quasdam ad alias similes post se relinquunt, ab ineptitudine ad bona & propensione ad mala immutatur, & consequitur aptitudinem & propensionem ad bona. Id tamen annotari adhuc meretur, quod culpam quidem & offensam peccatorum conversio omnino & plene aboleat dicto hactenus modo, ea autem quæ peccata habitualia important, non possit penitus tollere conversio, inprimis quantum spectat ad peccatum habituale connatum, quod peccatum Originis dicimus. De hoc enim conqueritur *Paulus* jam conversus, *peccatum in se habitare Rom. VII, 17. 18.* appellat illud ἀμαρτία ἐν πρῶτον, *peccatum firmiter adberens, & undiquaque cingens hominem Hebr. XII, 1.* Sic ut per omnem hominis vitam etiam in conversis *caro concupiscat adversus Spiritum, Gal. V. 17.* Interim tamen hæ peccatorum reliquiæ in conversis dominari, non debent *Rom. VI. 12. Sed amovetur Cor lapideum magis magisque, ut Cor novum & Spiritus novus producat Ezech. XI, 17. XXXVI. 24. Conf. Ezech. XLIX. 31. Jerem. IV, 4. propter verbum, quod auditu perceptum est Cor eorum molle & tenerum fit II. Reg. XXII. 19. Et liberantur conversi & manumittuntur à peccato, ut servi fiant justitiæ Rom. VII. 17.*

§. IX. Quando igitur modo explicato abolita sunt peccata, & fides est producta, absoluta est hominis Conversio. De eo autem Ecclesiam exercuit lis à *Pelagianis, Sem-Pelagianis alisque Heterodoxis excitata*, unde vires ad illam abolitionem peccati & productionem fidei habeat homo in suâ Conversione? Nam Pelagiani quidem negabant connatum illud Habitale hominum peccatum, quod Originale dicimus, sed *parvulos sine ullo peccati Originalis vinculo nasci asserabant. teste August. lib. de heres. ad Quod vult Deum c. ult. plerosq; tamen homines dicebant exemplum primorum parentum imitari, legem Dei*
trans-

transgredi, & propria culpa malos fieri & filios ire, & eos quidem
 conversione & remissione peccatorum opus habere, statim tamen
 ubi lex & doctrina proposita ipsis fuerit, declinare posse à malò,
 credere in Christum & facere bonum. Ut rursus test. Augu-
 stin. lib de Gratia & lib. arbitrio cap. 7. ita quidem ut præterea
 ex Gratia Christi, nihil nisi exemplum imitationis capiant, ut Au-
 gustinus test. l. c. cap. 39. & remissionem præcedentium peccatorum
 (per justificationem) obtineant, utpote, quæ cum facta sint, in-
 facta fieri nequeant, ut idem Augustinus testatur de Grat. & L.
 arbit. c. 13. & Epist. 94. Sem-Pelagiani verò in peccati Origi-
 nali nasci homines concedebant, nec ab eo nisi iustitia Secundi
 hominis liberari posse docebant; initium tamen fidei à no-
 bis esse, ex Deo autem fidei supplementum, ita, ut Deus, cum
 viderit nos ad bonum velle deflectere, occurrat, dirigat atque
 confortet: & rursus cum nos nolle & intepuisse prospexerit, ad-
 hortationes salutiferas admoveat cordibus nostris, quibus voluntas
 bona vel reparetur vel formetur in nobis ut loquitur Cassianus
 Collat. III. cap. XI. Tum verè dici Fidelem ideo obedisse & devo-
 tum fuisse, quia voluit, quam verè dicitur prævaricatorem ideo,
 non obedisse quia noluit, parique momento animum se vel ad vitia
 vel ad virtutes movere: & quantam ad malum, tantum habere
 facultatis ad bonum: ita ut bona appetentur Gratia Dei foveat:
 mala sectantem humano iusta suscipiat, ut testatur Prosper Aqui-
 tanus Epist. ad August. Synergystæ quoque asseriebant homini
 post lapsum adhuc reliquas esse aliquas vires Naturales, langui-
 das tamen quibus in Conversione sui cooperari Spir. S. Gra-
 tiam Dei in verbo oblatam acceptare, & permissionibus Di-
 vinis assentiri quodammodo possit, quanquam semper præve-
 niatur à Spir. Sancto homo, ac nisi prius excitefur, nunquam
 ullo conatu ad Spiritualia aspirare possit. Ut patet ex Collog.
 Altenburgico fol. 498. seq.

§. X.

§. X. *At vero ex locis Scripturæ §. 5. in fine adductis satis patet omnes has sententias omnino esse falsas, & hominem ex se & facultatibus naturalibus nullas habere vires merè Spiritualia ex verbo Dei proposita salutariter cognoscendi, iisq; vel ex toto vel ex parte, h. e. languidè saltem assentiendi: aut etiam appetendi bona mere Spiritualia salutariter & vel languidè tantum in ea tendendi, ut ea acquirat. Et hoc ipsum rationibus quoque ex Scriptura S. petitis confirmari potest amplius. Cum enim omnium consensu constet, nihil quicquam intellectum hominis ex viribus suis cognoscere ipsique assentiri posse, quod fores sensuum prius aliquo modo non pepulerit: Scriptura exsertis verbi testatur: *Sapientiam Dei, in mysterio, occultans illam, quam præfiniebat Deus ante secula ad gloriam nostram, nemo Principum seculi hujus cognovit: Nam si cognovissent, nequaquam Dominum gloria crucifixissent. Sed, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis, qui ipsam diligunt. 1. Cor. II, 7. seq.* indeque concludit hominem animale, seu viribus cognoscendi tam naturalibus instructum, non capere ea, quæ sunt Spiritus Dei, neq; posse illa cognoscere, ut loquitur Apostolus l.c. v. 14. Porro appetitus rationalis, non potest tendere, nisi in ea, quæcunque cognita fuerint ab intellectu: cum juxta vulgatum illud: *Ignoti nulla cupido*: non persequetur ergo is sibi relictus bona Spiritualia, cum, ut ante dictum, intellectus ea salutariter cognita non habeat, atque assensus illis minimè sit. Et hinc Scriptura quoque dicit: *Ὁ ἐπιθυμῶν τῆς σαρκὸς, affectus carnis inimicitia est adversus Deum, nam legi Dei non subditur: siquidem ne potest quidem Rom VIII, 7. non est qui exerceat bonum, non est, usque ad unum. Rom. III, 12.* In hanc rem pulchrè Augustinus: *Minus est cogitare, quæ cupere, cogitamus quippe omne, quod cupimus nec tamen cupimus omne,*
quod*

quod cogitamus, quoniam nonnunquam & quod non cupimus, cogitamus. Cum igitur minus sit cogitare quàm cupere, potest enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & perficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodo ad id, quod minus est, i. e. ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquàm ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra est ex Deo II. Cor. III, 5. & ad id, quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adiutorio idonei sumus ex libero arbitrio. lib. 2. contra duas Epist. Pelagii cap. 8.

§. XI. Nec est, ut in gratiam Pelagianorum quispiam dicat, ita quidem, ut dictum est, rem sese habere, cum homine sibi planè relicto, & qui de Deo & rebus Divinis nihil cognoverit, præter ea, quæ ex lumine naturæ hausit; sed aliter comparatum esse cum eo, qui vivit in Ecclesia, & vel legere, vel audire, potest verbum Dei, aut etiam cum eo, qui extra Ecclesiam incidit in Scripturam S., in eaque legit, quæ Deus revelavit & requirit ab hominibus. De his enim non posse dici, nullo modo spiritualia sensus eorum pepulisse, cum verba, quibus revelatio divina continetur, sensibilia sint, s. scripto exhibeantur, s. voce proferantur, eaque intellecta assensus, & hunc appetitus, ut sequatur, necesse sit. Etenim assensus à solis verbis res significantes, illorumque vi significando non provenit, sed necesse est, ut cognoscendo res ipsis, quæ verbis prolatis significantur, inter se esse compositas, ille demum producat, quas res, ubi compositas esse inter se, cognitione ex ipsis rebus deductâ, earum causis, perspectam habet intellectus, iis, quæ verbis enunciantur certo assensu, adhæret: sin vero tali cognitione perspectum non habet res illas, quæ verbis prolatis significantur, inter se compositas, sed autoritate saltem aut opinionibus hominum, communibusque effatis illud persuadeatur ipsi, assensus illis, quæ verbis prolata sunt, præbitus non erit certus, sed cum

C

for-

formidine oppositi conjunctus. Vid. *Piccartus Diss. de Veritate, quæ est XIV. in Philos. Altorf. p. 165. tb. 10. § 14.* Quæ cum ita sint, nec verba Scripturæ in se absolutè & simpliciter considerata, siue legantur, siue audiantur, facere possunt, ut ipsæ res illis significatæ ullo modo sensibus cognoscantur, & ab his ad intellectum deducantur, atque ab hoc tanquam composita aut diuisa apprehendantur, cumque recisæ nec per semet ipsas ullo modo sensibus pateant, manet certum & immotum eas intellectum, ut compositas non cognoscere nec præpositionibus de illis formatis certo ac immoto assensu inhærere posse. Quanquam vero autoritate parentum aut Ecclesiæ, item per miracula aliisque hujusmodi rationibus non raro persuaderi quibusdam soleat, res verbis Scripturæ significatas inter se esse compositas, non tamen alius, quam cum formidine Oppositi conjunctus, talem persuasionem sequi potest assensus, qui ad veram fidem nequaquam sufficit, quippe quam tali assensu niti superius ostendimus, quem plena proæresis & electio atque Acquiescentia voluntatis consequatur. Multo minus vero appetitus rationalis movebitur, ad sectanda & persequenda Spiritualia, Solis verbis Scripturæ ea significantibus aut representantibus, etsi contineantur illis plurimæ, eaque gravissimæ rationes & argumenta; ad persuadendas res tanti momenti aptissima, quando modo adhortationibus, modo dehortationibus, modo promissionibus, modo comminationibus utitur scriptura, cum peccatores à peccatis abducere & ad se convertere vult. Quod si enim de vitiosis rectè dixit Aristoteles. *Qui affectibus ducitur, nunquam auditurus est dehortantem à vitiis, neque etiam rationum ac præceptorum momenta intelligit. Talis porro habitus, in quo est, eum quomodo à proposito suo abducere ullis rationibus, valeas. L. X. Eth. cap. 11. §.*

Conf.

Conf. §. quanto magis dicendum illud erit de iis, qui omnino mortui sunt in peccatis Col. II, 13. Eph. II, 1. *Et servi peccati Rom. VI, 20.* hoc est, ita in malo obfirmati, ut *babeant Cor pœnitere nescium. Rom II, 20.* Cum præterea hi cognoscere Spiritualia ex solis Scripturæ verbis ea significantibus & repræsentantibus, iisque assentiri nullo modo possint, ut paulo ante dictum. Hinc Cyprianus lib. 3. ad Quirinum dixit: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Et Ambrosius lib. de Fuga Seculi. *Non est in potestate nostra cor nostrum & nostre cogitationes.* Et hoc respectu Solida declaratio in loco de libero arbitrio p. 661. hominem in conversione dicit esse instar statue Salis (in quam Uxor Patriarchæ Loth est conversa) imò similem esse trunco & lapidi, ac statue vita carenti, que neque oculorum, oris aut ullorum sensuum, cordisve usum habet.

§. XII. Nullas itaque vires abolendi peccata & producendi fidem habet homo sibi relictus, aut solis Scripturæ verbis res credendas nude exhibentibus & significantibus adjunctus, sed necesse est, ut à Deo solo eas omnes accipiat. Et hac de causa DEUS in Scriptura S. dicitur convertere homines, ut patet ex I. Reg. XVIII, 37. Ps. LI, 12. Jerem. XXXI, 18. Ezeeb. XXVI, 26. aliisque locis pluribus. Ipse dicitur dare intellectum, ut discamus ejus testimonia Ps. CXIX, 34. dare illuminatos oculos mentis Epbes. I, 18. *Et aperire oculos, ut convertantur homines à tenebris ad lucem Actor. XXVI, 18. dare cor novum. Ezeeb XI, 19. imo creare cor mundum Ps. LI, 12. dare velle & perficere Phil. II, 13.* Hinc Salvator, hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille Job. VI, 29. & Paulus II. Cor. III, 5. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quanquam autem toti Sanctissimæ Trinitati, tanquam uni indivisæ causæ, prout omnia alia opera Dei

ad extra, ita & vires illæ debeantur, eaque de causa & Deo Patri & Filio Conversio tribuatur. *Job. VI, 44. Matth. XXI, 37.* nihilominus tamen Spiritui S. peculiari ratione sæpe Scriptura S. id ipsum adscribit ut patet ex *Genes. VI, 3. Job. XVI, 8. seq. I. Cor. VI, 11.* & alibi passim. Confirmant hoc ipsum Patres quoque Ecclesiæ, ita enim *Ambrosius in expositione proœmii Evangelii S. Luca: Christus, ut id, quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur.* Et *Gregorius Nazianzenus oratione in Pentecosten. qui dedit, quod primum est, dabit & secundum: qui dedit credere, dabit & confiteri.* Sæpius contra Pelagianos id confirmat *Augustinus.* Sufficiat nunc adduxisse locum ex *epist. c. VII,* ubi adductis *Ps. XXXVI.* verbis: *à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet,* hoc dictum esse notat: *ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere, (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus.* Non enim ait Scriptura *à Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit, sed diriguntur, inquit & volet.* Non igitur, quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur, volet. Notatu digna sunt verba *Concilii Arausicani Can. 5.* *Si quis, sicut augmentum ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratie donum, id est per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Hinc Theologi DEum, & per appropriationem Spiritum S. dicunt esse causam Efficientem Conversionis, ut patet ex *solida declaratione loc. de libero Arbitrio p. 676.* Ubi verba ita habent; *Cum questio sit de causa Efficiente, hoc est quisnam hac in nobis opere.*

opere.

operetur, unde homo hoc ipsum habeat, & quomodo id consequi possit. Hæc pia doctrina ostendit horum bonorum fontem: hoc videlicet modo. Cùm naturales hominis vires ad veram Conversionem nihil conferre, aut quicquam adjumenti afferre possint, DEus ineffabili bonitate & misericordia nos prævenit: & Evangelion (per quod Spiritus S. conversionem & renovationem in nobis operari & perficere vult) annunciari curat: & per verbi sui predicationem & meditationem fidem, aliasque pietatis virtutes in nobis accendit: ita quidem, ut hæc omnia solius Spiritus S. dona sint atque operationes: & p. 671. ita docent: Predicatio verbi Dei & ejusdem auscultatio sunt Spiritus S. instrumenta, cum quibus & per quæ efficaciter agere & homines ad DEum convertere atque in ipsis & velle & perficere operari vult. Ad quorum uberiores intellectum adduci merentur verba D. Scherzeri ex Systemate Theologico Loco XI p. 296. quæ ita habent: operatur igitur DEus pœnitentiam; sed homo pœnitentiam agit. Sicut Spiritus S. fidem accendit, sed homo credit. Unde proprie loquendo homo nullo modo est causa procreans pœnitentiam, neque ullius partis, tanquam naturali sc. instinctu provocans aut eliciens pœnitentiam; sed tantum subjectum patiens, quoad receptionem facultatum pœnitendi. Agens autem quoad exercitium, sed per recens acceptas vires supernaturales, non naturales est homo. Neque enim subjectum denominationis, quod agere pœnitentiam dicitur, DEus est, sed homo, qui idem Autor p. 291. dixerat: Spiritus S. cor conterit; sed homo ita contritus, non ipse Spiritus S. peccata agnoscit. Homo, non Spiritus S. credit, etiamsi idem Spiritus S. homini vires, quibus & peccata agnoscere, & credere possit, largiatur.

§. XIII. Neque tamen eas vires aliter confert DEus Trinus hominibus, quam, (ut paulo ante etiam ex Form. Conc. dictum)

dictum) per suum verbum sive lectum sive auditum, ut docet Apostolus: *Quomodo, inquit, invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audiverunt? Quomodo autem audient absque predicante? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbum Rom. X, 14. 17.* qui ea de causa etiam dicit, *se in Christo Jesu per Evangelium Corinthios genuisse I. Cor. IV, 15.* quemadmodum & Petrus: *per sermonem viventis Dei & manentis in aeternum credentes dicit esse renatos. I. Petr. I, 23.* Atque Jacobus affirmat *DEum ipsum eos progenuisse verbo veritatis. Jac. I, 18.* Etenim verbum Dei præter vim significandi ac repræsentandi res significatas, quam cum omni verbo ac doctrina communem habet, est etiam potentia Dei ad salutem omni Credenti *Rom. I, 16.* Unde Paulus dicit. *Evangelium nostrum fuit erga vos non per sermonem solum, sed etiam per virtutem & Spiritum S. I. Thessal. I, 5. & cap. II, 13.* Quapropter & nos gratias agimus Deo indefinenter, quod, cum accepistis sermonem à nobis, quo DEum disceratis, accepistis non sermonem hominum, sed (sicut erat verè) sermonem DEI, qui & agit in vobis credentibus. In quam rem bene quoque Augustinus de prædest. Sanct. cap. 19. *Quid est, quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agat de hoc, quod ipse non fecit; ut cum percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud non ut verbum Dei. DEus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de quo multum locuti sumus, ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant, excipientes non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.* Præterea non persuadet & movet hominum animos verbum Dei ad sectanda spiritualia & supernaturalia spirituali cultu & ornatu orationis, aut sententiarum gravitate, argumentorumque

rumque

rumque robore, ut rursus testatur Apostolus dicens: *Sermo meus & predicatio mea, non erat in persuasoriis humana Sapiencia verbis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum: & rursus: quod & loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia I. Cor. II, 4. 5. 13.* Sed infinita potentia Dei, quam Apostolus vocat: *Excellentem Magnitudinem potentia illius in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum à mortuis Ephes. I, 19. 20.* Nec enim aliam causam fidei illis verbis, in nobis, qui credimus *katà secundum aut per efficaciam roboris fortitudinis ipsius, innuit; quam quidem infinitam Dei potentiam aut Dei omnipotentiam, præcipuè cum addat, intelligere se eam potentiam roboris Dei, quam exercuit DEus in Christo, cum excitaret eum à mortuis: Omnibus rectè sentientium calculis id approbantibus, Christum infinità Dei potentia aut omnipotentia esse à mortuis suscitatum. Atque hinc etiam verbum Dei vivum, efficacem, & penetrantius esse dicitur quovis gladio ancipiti, Ebr. IV, 12. illuminare oculos mentis Ps. XIX, 11. II. Petr. I, 19. & Deus operari dicitur virtutes in nobis ex auditu fidei Gal. III, 5. Sive ex prædicatione doctrinæ fidei, auditu percepta. Hoc est, quod inculcat Augustinus lib. de gratia Christi cap. 13. ita differens: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut alius & interius eam DEus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita, ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Sic enim docet eos DEus, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt, agere. Et cap. 14. Ac per hoc, quando DEus docet, non per legis literam, sed per spiritus gratiam: ita docet, ut, quod**

quis-

quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Capite quoque 24. docet: non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed interna atque occultâ, mirabili ac ineffabili potestate, operari DEum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: in eumque finem adducit exemplum Petri cap. 45. Quæ & alia considerantes Autores *Formule Concord.* in solida declaratione loco de libero arbitrio p. 671. Per hoc inquirunt medium seu instrumentum, predicationem nimirum & auditionem verbi, DEus operatur, emollit corda nostra, trahitque hominem: ut ex concionibus legis & peccata sua & iram Dei agnoscat, & veros terrores atque contritionem in corde suo sentiat. Et per annunciationem & meditationem Evangelii de gratuitâ & Clementissimâ peccatorum remissione in Christo, scintillula fidei in corde ipsius accenditur, quæ remissionem peccatorum propter Christum amplectitur, & sese promissione Evangelii consolatur: & hoc modo Spiritus S., qui hæc omnia operatur, in cor immittitur.

§. XIV. Et hæc de causâ vires in conversione per immensam Dei omnipotentiam homini collatæ, *Gratia* vocantur in scriptura, ut patet ex *Eph. II, 5.* Ubi Apostolus; *Etiam cum essemus mortui per delicta, convificavit nos unâ cum Christo: per Gratiâ estis servati:* adde & v. 8. quæ quidem *Gratia*, quemadmodum à Deo, tanquam actio ab Efficiente causâ dependet, ita ipsa conversio est, quando in homine locum invenit. Unde lucem accipit divisio Conversionis in Activam & Passivam. Illa enim nihil aliud est, quam ipsa actio Dei, quæ ab ipso tanquam Causa Efficiente dependet, & *Gratia* alio nomine dicitur, Passiva autem Conversio, quia concipitur, quatenus in Deo non manet, sed transit in subjectum, quod DEus non est, scilicet in hominem: Hæc vero ipsam receptionem

onem

onem gratiæ in homine significat, actionem nempe hominis, quâ agnitis ex lege peccatis metuit iram Dei, & dolens de admittis, fide in Christum se rursus erigit: & Intransitiva appellatur, quia non transit in subjectum aliud, sed in ipso homine manet, cujus actio est. Maximè delectantur illa gratiæ appellatione Patres Ecclesiæ, & imprimis Augustinus, qui & variè eam distinxit, in Prævenientem nempe, Operantem, & Cooperantem, pro diverso, ad hominem habito respectu, quibus tamen terminis non raro Heterodoxi abuti solent, ad suos palliandos errores. In Scriptura autem Sacra non solum homines dicuntur converti per gratiam, tanquam actionem à DEo, ut Causa Efficiente, dependentem, sed ex gratia quoque sive gratuito favore DEI, quo DEus permotus & impulsus est ad operandum in homine Conversionem per gratiam suam ut patet ex *II. Timoth. I.* ubi Paulus: *DEus vocavit nos vocatione sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Christum Jesum*: Quam gratiam aliàs scriptura misericordiam Dei appellat, qua impulsus Conversionem in hominibus operatur, ut patet *Ephes. II, 4. 5. I. Pet. I, 3. Tit. III, 5.*

§. XV. Quemadmodum igitur ex hæcenus dictis constat, hominem ad Conversionem suam efficiendam fidemque progignendam nihil quicquam efficiendo conferre posse, sed quicquid hujus est, à DEo, ejusque gratia per verbum Dei in ipso producitur. Ex adverso autem docente scriptura, *omnis homo natura est Servus peccati. Rom. VI, 20. & filius iræ Ephes. II, 3.* h. est. determinatus ad malum, sive ita sese habet, ut malum non possit non velle, unde consequitur, hominem excitatis etiam à Deo ejusque gratia per verbum piis cogitationibus, & motibus, nihilominus tamen eidem repugnare, atque resistere, nec quod offertur ipsi, bonum velle & ad-

D

mit-

mittere, aut gratiæ sese applicare posse. Hoc sane est, quod ipsa scriptura nos docet: nam *caro inquit, Insuper concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem. Gal. V, 17.* Quodque nomine luctæ carnis & Spiritus vel pugnæ carnis contra Spiritum venire solet, quam statim, ubi motus quosdam Spirituales ad Conversionem hominis pertinentes DEi gratia per verbum excitavit, incipere non immerito asserunt Theologi, quemadmodum eam per totam Conversionis vitam, & ad finem ejusdem durare asserit Paulus. *Rom. VII, 23. seq.* Attamen eousque misericordia & gratuitus DEi favor sese extendit, ut hanc quoque naturalem aut connatam hominibus repugnantiam, excitatis piis cogitationibus & motibus superare faciat homines per Conversionis gratiam, ut ex nolentibus fiant volentes, & ex repugnantibus obsequentes. Hoc est, quod docet *Augustinus lib. IV. ad Bonifacium cap. 6. Reluctanti prius aditus vocationis ipsa DEi gratia provocatur; ac deinde in illo jam non reluctante Spiritus veritatis accenditur. Veruntamen in omnibus, quæ quisque agit, secundum DEum, misericordia ejus prævenit eum.* Quod tamen non violentia & coactione efficere DEum in hominibus, alibi idem docet *Augustinus Presup. lib. sc. 1. ad Bonifacium c. 18. Evangelium, inquit, clamat: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum. Non enim ait: duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur, ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus, in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Eos autem relinquit tantum in impœnitentiâ divinum Numen, qui vel verbum DEi contemnunt, & ne audire quidem sustinent, ac Spiritui S. in verbo suo loquenti malitiose contradicunt, aut
doctri-

doctrinam Evangelii hostiliter persequuntur, qualiter Spiritui S. repugnabant Judæi *Act. VII, 51. seqq. XIII, 45. seqq. XVII, 5. XVIII, 6.* vel de salute animæ suæ nihil solliciti sunt, de verbo DEi non cogitant, idque ex incuria & securitate carnis non audiunt omnino aut sane non cum attentione *Luc. VIII.* vel denique voluptuarios concupiscentias carnis, vel avaros divitias, aut alios etiam alias res mundanas ita perditè amantes, ut cæteris bonis omnibus eas anteponant. Conf. *Matth. XIX, 12.* Omnes enim hi DEi gratiæ per verbum operanti ita resistunt, ut in potestate eorum sit id ipsum, quod faciunt, non facere. Nam illi quidem, cum DEum ex naturæ lumine quodammodo possint cognoscere *Rom. I, 19.* inde ad DEum ulterius inquirendum, & decente cultu prosequendum, manu quasi ducuntur *Act. XVII, 27.* ac ex viribus naturæ & ductu notitiæ, in ipsa Naturâ revelatæ DEum quodammodo quærere possunt; cumque eam in verbo Dei proponi intelligere difficilie non sit, *postquam ejus sonus per totum exiit mundum.* Possunt quoque cum Paulo Sergio ProConsule Romano desiderare, audire sermonem DEi *Act. XIII, 7.* omnesque actus Pædagogicos ad Conversionem exercere. Hi verò ipsi in causa sunt, cur ita repugnent, quoniam diuturna illa peccandi consuetudine illam pertinaciam & obstinationem voluntatis sibi ipsis accessiverunt, cui tamen in tempore obviam ire & melioribus studere moribus suo tempore poterant *Jerem. XIII, 23.* Unde Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 33. *Infideles quidem contra DEi voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt; verùm seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in supplicium potestatem ejus, cujus misericordiam in donis contempserunt.*

§. XVI. Attamen nec hos desistit ad Conversionem vocare per verbum, imo operari in iis Conversionem DEus, quantum quidem in se est. Id enim ipse testatur per Prophetam dicens: *Tota die extendo manum meam ad populum rebellem* &c. *Esaie LXV, 2. & 12.* & Sapiaentia exclamat. *Vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* *Prov. I, 24.* Quod & Christus in N.T. confirmat, quando dicit: *Jerusalem, Jerusalem, quoties congregare volui filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos, sed vos nolulistis.* *Matth. XXIII, 37.* Unde prædicat de DEo sapiens: *παρεργάζεσθαι ἀμαρτήματα ἀνθρώπων εἰς μετένοιας: dissimulas peccata hominum ad pœnitentiam.* *Sapient. XI, 24.* ita sane tempore Noæ per annos centem & viginti DEus expectabat, & operabatur Conversionem in hominibus, de quibus ipse: *non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* *Gen. VI, 3.* *Conf. I. Petr. III, 20.* Nec ullus Conversioni hominum terminus peremptorius positus est, nisi mors, ut patet ex *Ezech. XVIII, 31. 32.* ubi Dominus. *Projicite à vobis omnes prevaricationes vestras, in quibus prevaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum: & quare sic moriemini Domus Israël. Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus DEus: revertimini & vivite:* unde etiam fiunt inexcusabiles, qui toties vocati non veniunt, sed in peccatis permanent, & pœnis gravioribus aut in hõc aut in futuro seculo afficiuntur. Quæ cum ita sint, multo minus dici potest gratiam Conversionis subtrahere DEum illis, qui cum aliquamdiu in viis Domini ambulassent, relabuntur in peccata, sed asserendum potius, DEum revocare ipsos serio à via peccatorum ad viam salutis. Hoc sanè exsertis verbis docet Scriptura: Hinc Dominus ad rebellem Israelem mittit Prophetam, jubetque eum clamare: *Revertere, rebellis Israël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis* *Jer. III, 12.* idem inculcat per *Ezech.*

Ezech. XVIII, 26. XXXIII, 12. seqq. Idem indicavit Christus in N. T. quando in parabola ostendit, quærere se, ut bonum Pastorem ovem perditam, & grossum perditum cum muliere, quæ habebat grossos, quin & delectari reduce filio perduto. *Luc. XV.* Imprimis confirmatum id videmus exemplo Petri, qui, cum relapsus esset in peccatum, abnegato coram domesticis Pontificis Salvatore, recordatus verbi, quod dixerat Dominus ad ipsum, ita compunctus est corde, ut exiens *fleret amarè*; receptaque fide in gratiam Domini rediret *Matth. XXVII.* Quæ considerans *Bernhardus Sermone 3. in Solenni Petri & Pauli* scribit: *Si Petrus post tam gravem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tantum egredi voluerit de peccatis.* Damnavit hinc Ecclesia sententiam *Novatianorum*, qui docebant: *Lapsis non amplius (quamvis omnia, quæ viderentur ad veram pœnitentiam, ad Conversionem animarum, ad puram denique Confessionem spectare, omnino peragerent) spem nullam salutis omnino reliquam fieri.* Teste *Eusebio lib. 6. Histor. Eccles. c. 35.* Sive ut *Epiphanius heres. 59.* scribit: *Lapsis nullam esse spem salutis asseruerunt, & unam duntaxat esse pœnitentiam; qui autem post baptismum delinqueret, nullam erga eum misericordiam adhiberi posse.* Quanquam enim Pontificii judicent, nullam *Novatianos* dixisse lapsis superesse spem salutis, per claves Ecclesiæ obtinendæ: non negasse verò eos salutem à Deo sperare posse & debere, sed ideo eos ad pœnitentiam adhortatos esse, ut scilicet lachrymis & laboribus promerentur divinam clementiam, penes Ecclesiam autem eos reconciliandi jus nullum, nullamque esse potestatem, in ejus enim arbitrio unicam illam peccatorum indulgentiam versari, quæ per baptismum obtineatur. vid. *Bellarmin. lib. 1. de pœnitentia cap. 9. in it.* Contrarium tamen satis patet ex *Ambrosio lib. 1. de pœnitentia cap. 1.* qui ita scribit: *Quid durius, quam ut indi-*

CANE

*cant pœnitentiam, quam non relaxent, cum utique veriam ne-
gando incentivum auferant pœnitentia. Nemo non poterit bene
agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. Quodsi
enim apud DEum indulgentiam sperare posse lapsos senserint
Novatiani, quomodo dicere potuit Ambrosius: lapsos bene
agere pœnitentiam non posse? Cum multo præstantior utique
sit indulgentia & remissio peccatorum apud DEum, quam ea,
quæ ab Ecclesia obtinetur, ut multa, quæ Pontificii, thesibus
suis inservientes, admiscuerunt, sicco pede hac vice transeamus.
Unde & Bellarminus prioris sententiæ immemor esse videtur
lib. 2. de Pœnit. c. 15. Doctores Ecclesiæ hinc Conversionem aut
pœnitentiam ita distinguunt, ut aliam esse dicant Conversio-
nem aut pœnitentiam infidelium, quam & primam nominant
eâ de causâ, quòd alia nulla in subjecto isto eam præcesserit; ali-
am vero conversionem aut pœnitentiam lapsorum, aut Re-
lapsorum, quam & secundam appellant, quoniam in eodem
subjecto alia prior conversio antecesserit. Quodsi ex hæctenus
dictis definitionem conversionis concinnare volupe cuipiam
fuerit, facere id poterit præeunte D. Scherzero System. Theol.
Loc. XI. p. 289. ad hunc modum. *Conversio est motus hominis
peccatoris ex viribus, a DEo acceptis de peccatis ex lege agnitis
serio dolentis & meritum Christi verâ fide Evangelio accensa ap-
prehendentis, remissionis peccatorum ac salutis æternæ consequen-
de causâ.* Aut Rudrauffio in Summa Theologiæ Theticæ pag.
266. Thef. III. *Conversio est actio Dei gratiosa, quâ homo adultus
& infidelis ex infideli redditur fidelis, è statu peccati & ira trans-
fertur, ad statum fidei & gratia, ut acta pœnitentia consequatur
remissionem peccatorum & salutem æternam;* Conf. definitionem
Joh. Fried. Königii Posit. p. 199. §. 514. ubi etiam conversio à Pœ-
nitentia probe distinguitur, diciturque *conversio passiva, quæ est
motus seu Actus hominis peccatoris de peccatis dolentis, & sa-
tisfactionem Christi vera fide apprehendentis.**

S. D. G.

Coll. diss. A. 208, misc. 7